UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1714

Q. 50. An usus Matrimonii ex metu gravissimæ infamiæ vel mortis sit licitus conjugi, qui scienter, vel saltem ignoranter contraxit Matrimonium cum impedimento dirimente, quod tam cirò removere non ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42682

Visual Library

pro utroque ad petendum & reddendum debi-
tum. 3. Poſſeſſio juris pro licito uſu Matrimo-
nii non neceſſariò fundatur in poſitiva probabi-
litate de valore, nam Cap. *Dominus*, dicitur
manſiſſe dubium de morte prioris mariti, unde
gratìs dicitur, quòd bona fides in hac materia
non juvet, niſi ubi eſt talis poſitiva probabili-
tas pro valore, nam jus ad uſum hìc fundatur in
ſecundo Matrimonio bonâ fide inito & exiſti-
mato valere.

314. §. 7. Ad rationes in oppoſitum allatas pat
reſponſio, nam eſt latum diſcrimen inter Matri-
monium contrahendum, quod ante habitam
certitudinem de morte prioris conjugis illicitè
contrahitur, utì patet ex Cap. *Dominus*. Et quam-
vìs primum Matrimonium ſit in certa poſſeſſio-
ne valoris, & nullum ſit poſitivum probabile
argumentum pro valore ſecundi, eſt tamen pro
illo ſecundo bonâ fide inito, & tamdiu conti-
nuato, poſſeſſio, quantùm eſt neceſſe in ordine
ad licitum ejus uſum.

315. *Q. 50. An uſus Matrimonii ex metu graviſſimæ in-
famiæ vel mortis ſit licitus conjugi, qui ſcienter, vel ſal-
tem ignoranter contraxerit Matrimonium cum impedi-
mento dirimente, quod tam citò removere non poteſt.*

℞. Affirmant *Magiſter*, *Hugo à S. Victore*, *Hoſtien.*
Idem dixerunt *Henriq.* & alii, ſaltem tum, ſi Judex
compellat ad reddendum debitum, quia tunc
videtur tolli impedimentum: ſed oppoſitum
eſt certum, utì tenent reliqui cum *Averſ.* q. 11.
3. Et ratio eſt, quia cùm Matrimonium ſit
nullum, copula certò erit fornicaria; nec igno-
rantia impedimenti, aut metus mortis, qui
tunc eſt, eum poſſunt reddere habilem ad con-
trahendum, utì conſtabit ex dicendis n. 5

N

Nec Judex diſpenſat, ſed tantùm ex errore ſibi invincibili ſupponit abeſſe impedimentum.

Q. 51. *An ſteriles, item illi, qui poſt Matrimo-* 316.
nium facti ſunt eunuchi aut impotentes licitè tentent u-
ſum Matrimonii, tangant ſe &c. R. §. 1. Quoad ſteriles, affirmat cum communi *Buſenb.* quia capaces ſunt copulæ ſeminalis, & per accidens eſt, quòd non ſequatur generatio. Et idem de ſenibus decrepitis dicam n. 791. Potéſtque de ſterilitate fœminarum videri *Zacchias* l. 3. tit. 1. q. 7.

§. 2. Si quis poſt Matrimoninm ſit factus 317.
eunuchus, doçent *Tolet. Perez, Sanch.* l. 7. d. 102. n. 16. *Gob.* n. 606. *Krim.* n. 1280. & alii licitum eſſe illi reddere & petere debitum, quia jus habet ad actum conjugalem, utì & tum, quando ſcit ſe eſſe ſterilem, aut uxorem ita gravidam, ut non ſit conceptura, copula autem illa adhuc ſervit illi ad remedium concupiſcentiæ, qui eſt finis ſecundarius Matrimonii, & per accidens eſt, quòd non emittat ſemen prolificum. Oppoſitum tenent *Ledeſm.* & *Dicaſt.* quia cùm non emittat verum ſemen, copula illa non eſt apta generationi, ergo illicita, ſecundùm dicenda num. 789.

§. 3. Quando poſt Matrimonium ſuperve- 318.
nit impotentia ſeminandi intra vas, illicitum eſt tentare copulam, ſi autem ſit ſpes, licitum eſt, etiam ad quoſcunque annos, quamdiu ſpes manet, & quamvìs ſemen per accidens communiter effundatur, *Sanch.* l. 9. d. 17. à n. 18. *Gob.* tr. 10. n. 591. *Spor.* num. 122. Eſſe autem licitum tentare copulam, etiam uſque ad triennium, quando dubium eſt de impotentia vel antecedente vel ſubſecuta poſt Matrimonium, dicetur n. 787.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN